Cum ante hos tres annos gratissimo mihi fortunae beneficio contingeret, ut Italiae Graeciaeque plurimas partes per totum annum peragrarem, in hoc itinere haud paucis locis pugnarum antiquarum memoria nobilissimis id egi ut veterum historicorum descriptiones praeter ceteras fide dignas et inter se et cum loci natura conferrem. Qua in re ut ipse mihi res gestas melius ante oculos proponere posse videbar, ita illud me non fugit vix fieri posse in talibus quaestionibus perpendendis, ut iudicia quamvis vera aliis satis probentur, nisi liceat ea tabularum geographicarum quasi praesidio adiuvare et confirmare.[1]) Ita ei qui viderunt agros Cannenses quamquam omnes, quos quidem cognoverim, in eo consentiunt dimicari non potuisse in ripa Aufidi dextra, tamen haud pauci sunt, qui hanc quaestionem, utra in ripa pugna sit pugnata, adhuc sub iudice esse existiment, atque hanc rem ipso pugnae loco denuo esse considerandam nuper censuit vir doctissimus Wölfflinius.[2]) Tabulas autem parare, quibus illustrentur pugnae Italicae, his annis multo est facilius, quod nunc primum, postquam Italiae partes in unum regnum coaluerunt, magnarum Italiae inprimis mediae et infimae partium tabulae factae sunt satis accuratae.[3]) Id igitur mihi proposui, ut adiecta tabula quaestiones de cladibus a Romanis ad Trasumennum et ad Cannas acceptis quantum possem ad locorum naturam revocarem.

I. De pugna Trasumenna.

De pugna ad lacum Trasumennum[4]) iam Nissenium cum accuratissima et locorum et rerum cognitione ita egisse vidi,[5]) cum in patriam redissem, ut, in qua parte riparum lacus Perusini Romani oppressi essent, in universum amplius dubitari nequiret, velut Car. Peter in tertia historiae Romanae editione (I 355) ab opinione falsa, quam sibi de pugnae loco ante finxerat, recessit. Sed nihilo minus hanc quoque quaestionem denuo tractare haud abs re esse existimavi, quod

1) Non satis facere in hac re tabulas usitatas vel ex eo apparet, quod ne Kieperti quidem tabula dilucidissima mediae Italiae, quam novissimas tabulas militares secutus Atlantis antiqui editioni a. 1881 addidit, harum de quibus acturi sumus pugnarum regiones ita accurate exhibet, ut etiam in hoc modulo (1 : 1250000) fieri potuit et debuit propter locorum nobilitatem. Ad lacum enim Trasumennum desunt montes, qui pugnae campum a planitie Cortonensi separant; Cannae et colles Cannenses nimis longe absunt ab Aufido. Hanc partem melius praebet Kieperti tabula a. 1882 edita: Nuova carta generale dell' Italia meridionale (1 : 800000 Berlin Dietr. Reimer).

2) Titi Livii a. u. c. l. XXII erklärt von Ed. Wölfflin. Leipz. Teubner 1875 praef. p. V.

3) a) Carta delle provincie meridionali alla scala 1 : 50000; 174 fol. b) Tavolette rilievo parte alla scala di 1 : 25000 e parte a quella di 1 : 50000 da servire alla costruzione della gran carta topografica d'Italia alla scala di 1 : 100 000. fol. 608 sqq. c) Carta generale del reame d'Italia alla scala di 1 : 100 000 in 277 fogli (editae sunt hucusque Sicilia et Calabria). d) Carta della Lombardia, del Veneto e dell' Italia centrale pubblicata dall' istituto geografico militare Austriaco inc. alla scala di 1 : 86 400 in riproduzione ingrandita alla scala di 1 : 75 000. Primam tabulam secutus sum in tabula regionis Cannensis, quartam cum vetere Austriaca in tabula ripae lacus Trasumenni. Tabulae b) et c), quantum scio, nondum veneunt apud bibliopolas.

4) Ea nominis forma usus sum, quam in optimis scriptorum latinorum libris mss. exstare exposuit Frid. Ritschelius Mus. Rhen. v. XXII p. 603 (Opusc. III 714).

5) Die Schlacht am Trasimenus, Rhein. Mus. XXII, 565 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nissenius neque tabulam adiecit[6]) neque iure mihi Polybianam loci descriptionem cum Liviana videtur confudisse, neque in singulis omnia mihi persuasit.

Quae pugnam ipsam antecesserunt, paucis mihi comprehendenda sunt, quoniam etiam in loco pugnae definiendo id alicuius momenti esse apparebit, utrum aggredi voluisse Flaminium an in itinere oppressum esse existimemus. — Ineunte vere a. 217 Romanorum exercitus Hannibalem hau dubie in ipsam Italiam progressurum bipartiti excipere parati erant, una pars duce Cn. Servilio consule Arimini, altera duce consule altero C. Flaminio Arretii.[7]) Utriusque exercitus erat, Hannibalem, sive recta in Etruriam transiturus erat, sive, id quod veri similius videri poterat, in ora maris Adriatici progredi aut inde Apenninum transire conaturus, si non vincere at tamen detinere et observare, dum alterius consulis exercitus succurreret. Sine dubio enim aggredientem eum reicere, non ipsi contra eum progredi in animo habebant. Sed Flaminius consul adeo neglexerat per exploratores trans Arnum praemissos se certiorem facere, num hostis appropinquaret, ut Hannibalem in Etruriam intrasse non prius animadvertisse videatur quam ex incendiis vicorum proximorum eum adesse apparuit.[8]) Fieri igitur potuit, ut Hannibal exercitu Flaminii ad Arretium laeva relicto descenderet in planitiem, quae a Clani flumine et rivis ei accedentibus patet ad montes Cortonenses, et Romanos in itinere Romam, ut videbatur, verso iam post tergum haberet. (Pol. III c. 82, 1 *μικρὸν ὑπεράρας τὴν τῶν Ῥωμαίων στρατοπεδείαν*). Quae cum ita essent, Flaminius incuriae priori addidisset novam periculosiorem, nisi castris statim motis Hannibalem secutus esset, ut, sive cum eo decertare volebat sive nolebat, instando eius vestigiis eum ex oculis quasi non dimitteret. Iniuria igitur illi, quorum et Livius et Polybius suam fecerunt sententiam, censebant Flaminii etiam tum fuisse alterius consulis exercitum arcessere et exspectare.[9]) Quod cum aut difficillimis tramitibus aut circuitu per Fanum Fortunae et Iguvium vix sex diebus fieri posset, Hannibal dum consules se coniungerent iam procedere poterat prope moenia Romae. Romam autem ipsam peti ab Hannibale illo tempore unicuique veri simillimum videri debebat, id quod rectissime Livius Flaminium timentem facit (XXII c. 3, 7. 10; cf. Pol. c. 82, 9 *ὅ γε μὴν Ἀννίβας ἅμα μὲν εἰς τοὔμπροσθεν ὡς πρὸς τὴν Ῥώμην προῄει διὰ τῆς Τυρρηνίας*) et summae igitur fuisset neglegentiae hosti omnia diruenda vastandaque committere et iter ad urbem robore virium destitutam patefacere. Sed summa Flaminius cum temeritate rem egit in itinere ipso, quod iterum neglecto gravissimo ducis officio hostes secutus est „in-

6) Tabula editioni Wölfflinii addita non sufficit descriptioni Polybii diiudicandae.

7) Pol. III 77, 2; 86, 1 Livium, quamvis Servilium profectum esse Ariminum dicere omiserit, ut est haec operis Liviani pars plena difficultatum, tamen idem sequi elucet cum ex Centenii missione (XXII 8 cf. Pol. c. 86, 3), tum e Livii cc. 9, 6 et 31, 9. Quod a Livio solo Flaminius quoque Ariminum profectus esse traditur, priusquam Arretium se conferret, multi sunt qui credi posse negent. Ita Seeck (Hermae v. VIII Über den Winter 218/17 p. 165) rectissime animadvertit Ciceronem (de div. I § 77) Coelium secutum Flaminium exercitu lustrato Arretium castra moventem et contra Hannibalem legiones ducentem facere. Quod Aless. Tartara (dalla battaglia della Trebbia a quella del Trasimeno, Torino 1882 p. 105) Flaminium non prius Arimino Arretium profectum esse suspicatur, quam Hannibalem in Etruriam profectum esse comperiret, prorsus est incredibile.

8) Qua via Hannibal Apenninum transgressus sit, ne post Nissenii quidem curas (cf. n. 5) pro certo dici potest. Me libentissime accedere profiterer Car. Neumannii, viri locorum peritissimi, sententiae Poenos a Parma Lunam profectos esse censentis ea via, quae nunc la Cisa nominatur. (Das Zeitalter der Punischen Kriege, Breslau 1883). Sed haud scio an Neumannius non attenderit ad illud quod Polybius (c. 87, 4) Hannibalem dicit in Picentinorum finibus primum ex quo in Italiam invasisset ad mare pervenisse.

9) Excusandum esse ab hac parte Flaminium praeter Nissenium viderunt Ihne, Röm. Gesch. II 173 et Wölfflin (ad Liv. XXII, 4, 4).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

explorato" (Liv. c. 4, 4) et ita in laqueos ei positos imprudentissime se immisit (Pol. c. 82, 7 *οὐ καιρὸν οὐ τόπον προορώμενος*). Nam si detexisset insidias per exploratores agmini praemissos, in altera Trasumenni ripa ad occidentem versa progrediendo conari poterat se inter hostium exercitum et urbem Romam interponere. Sed ne incautissimum quidem ducem pugnandique cupidissimum credendum est quolibet loco quamvis inopportuno proelium inire voluisse. Et omnium inopportunissimus erat ille locus, in quem Flaminius die pugnae intravit etiam longius praegressum esse Hannibalem opinatus, ut apparet etiam e Polybii narratione quamvis magnam aggrediendi cupiditatem Flaminio imputantis (c. 82, 7).[10])

Lacus Trasumennus ab ea parte, quae spectat inter septentrionem et occidentem, (ad vicum *Borghetto*) quodam modo continuat et excipit amplam vallem Cortonensem; ab occidente colles paullatim ad lacum descendunt, a meridie et ab oriente fere ubique eum artissime cohibent montes maiore acclivitate, qui etiam a parte septentrionali vix viae spatio relicto ripam sequuntur usque ad vicum *Passignano;* inde montes ad maiorem ascendentes altitudinem falcis fere forma a lacu ita recedunt, ut ante vicum illum *Borghetto* iterum proxime ad ripam redeant. Quo fit ut in hac parte campus ab eis cingatur magis longus quam latus, in quem medium colles a montibus illis descendentes paullum ita prominent (prope *Tuoro* vicum), ut utrimque vallicula fiat inter hos colles et montes altiores (*Baroncino, S. Damiano*).[11]) Huic quam modo adumbravi regioni convenire apparet loci descriptionem Livianam, nec quisquam pugnae locum in alia lacus parte quaeret nisi in hac, quae est planitiei Cortonensi, per quam exercitus accesserunt, proxima (Liv. c. 4, 4. Pol. c. 83 7). Sunt autem Livii verba (c. 4, 2): „Et iam pervenerant ad loca nata insidiis, ubi maxime montes Cortonenses (*Monte Gualandro*) Trasumennus subit. Via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio; deinde paulo latior patescit campus; inde (*Passignano*) colles adinsurgunt." At quibus Polybius (c. 83) utitur verbis, non eadem regio describi videtur: „*ὄντος δὲ κατὰ τὴν δίοδον αὐλῶνος ἐπιπέδου, τούτου δε παρὰ μὲν τὰς εἰς μῆκος πλευρὰς ἑκατέρας βουνοὺς ἔχοντος ὑψηλοὺς καὶ συνεχεῖς, παρὰ δε τὰς εἰς πλάτος κατὰ μὲν τὴν ἀντικρὺ λόφον ἐπικείμενον ἐρυμνὸν καὶ δύςβατον, κατὰ δὲ τὴν ἀπ' οὐρᾶς λίμνην τελείως στενὴν ἀπολείπουσαν πάροδον ὡς εἰς τὸν αὐλῶνα παρὰ τὴν παρώρειαν, διελθὼν τὸν αὐλῶνα παρὰ τὴν λίμνην τὸν μὲν κατὰ πρόσωπον τῆς πορείας λόφον αὐτὸς κατελάβετο* et q. sq. Quibus ex verbis qui locum descriptum sibi fingere volet, existimare debebit viam, quae Trasumennum praeteribat, inde a lacus ripa intrasse in vallem ab utroque latere montibus altis, a tergo lacu ipso clausam, in fronte ad collem illum ascendentem. At campum illum, qui ad lacum porrigitur, si transibis, ab uno latere montes habebis altos et continuos, a latere altero lacum ipsum, a tergo et in fronte colles vel montes. Neque Nissenii sententia suspicantis redire Polybii verba ad auctorem Romanum, qui in his faucibus se ad sinistram verterit, tolluntur difficultates; neque enim in aperto est, quo modo colles a minoribus campi lateri-

---

10) Verba *συνάπτειν* et *ἐξάπτεσθαι* in Polybii capp. 82 sq. nihil aliud significare possunt nisi „se ad hostem admovere, sequendo appropinquare;" nam neque c. 82, 11 *ἐπεὶ δὲ τὸν Φλαμίνιον ἤδη συνάπτοντα καθεώρα*, neque c. 84, 1 *Ἀννίβας ἅμα τῷ τὸ πλεῖστον μέρος τῆς πορείας εἰς τὸν αὐλῶνα προςδέξασθαι καὶ συνάπτειν πρὸς αὐτὸν ἤδη τὴν τῶν ἐναντίων πρωτοπορείαν* Flaminius aggreditur. Ita etiam v. *ἐξάπτεσθαι* in c. 83, 7 *Φλαμίνιος — ἦγε τὴν πρωτοπορείαν παρὰ τὴν λίμνην εἰς τὸν ὑποκείμενον αὐλῶνα, βουλόμενος ἐξάπτεσθαι τῶν πολεμίων*, H. J. Müller (ad Liv. XXII, 4, 4) optime interpretatur „Fühlung mit dem Feinde gewinnen oder behalten."

11) Hunc campum inde ab antiquitatis temporibus non tantopere mutatum aut amplificatum esse, ut pugnae aetate multo eum minus latum fuisse existimandum sit, Nissenio (p. 581 sq.) concendendum est; nam quamvis lacus altitudo paullatim minuatur et campus lacum versus crescat, tamen rivi in hac parte decurrunt tam exigui, ut nisi in maioribus temporis spatiis quam quanta ex illa aetate praeterierunt, mutationes efficere non possint graviores.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus surgentes (prope *Borghetto* et *Passignano*) *αἱ εἰς μῆκος πλευραὶ* appellari potuerint,[12]) neque quo iure *ἡ εἰς πλάτος πλευρὰ κατ' ἀντικρύ* solo illo colle (in quo vicus *Tuoro* situs est) significetur. Etiam e verbis *τὸν κατὰ πρόςωπον τῆς πορείας λόφον* nemo coniciet fuisse hunc collem non in valle extrema sed ad vallem mediam.[13])

Sed quaerendum est, possitne locus descriptioni Polybianae magis conveniens agnosci in eiusdem campi vallicula quam dixi ad occidentem sita. Ibi enim a latere uno mons *Gualandro*, a latere altero colles satis editi ad vicum *Tuoro* descendentes sinum campi ita includunt, ut a faucibus inter montem *Gualandro* et lacum intranti et ad septentriones spectanti haec regio per se praebeat vallis formam. Nec deest collis lacui oppositus; viculus enim *Sanguinetto* in colle situs est a tribus partibus pari fere acclivitate fastigato. Sane quidem admodum exiguae haec vallicula est longitudinis nec ab oriente satis clausa, sed consideranda haec quaestio non solum propter Polybii auctoritatem, sed etiam quod sententiam in hac parte dimicatum esse inter incolas illius regionis vulgatam esse cognovi propter arma ibi inventa et nomen illud fatale vici *Sanguinetto*, quod pugnae terrorum memoriam servasse creditur.[14]) Quid quod ante hos fere sex annos, si recte illi me docuerunt, Cialdinius dux cum regni Italici copiis proelio ad imitandam pugnam antiquam ficto ita copias distribuisse fertur, ut media acie ipse sumptis Hannibalis partibus occuparet collem istum memoriae sanguinolentae, dextrum cornu (Gallorum equitumque loco) sub monte *Gualandro*, sinistrum post collem *Tuoranum* (loco levis armaturae) collocaret et ita adversarios per fauces a vico *Borghetto* intrantes exspectaret?

Sed haec Poenorum collocatio quamvis praeter Polybii auctoritatem eo fortasse commendetur,

12) *H. J. Müller* quidem in Livii Weissenborniani ed. 7 libri XXII ad c. 4, 2 „Die letzte Ausdehnung (inter colles prope *Tuoro* et lacum) „bei Polybios *εἰς πλάτος*, beträgt abwechselnd $^1/_2$ bis $1^1/_2$ Miglie, die zwischen den beiden Durchgängen, *εἰς μῆκος*, über eine Meile.“ Sed qui fit, ut latitudinem vir doctissimus metiatur non in latere, sed inter latitudinis latera et longitudinem item inter ea quae Polybius dicit longitudinis latera? cf. ad dicendi consuetudinem Polybianam VI 23, 2 *οὗ (τοῦ θυρεοῦ) τὸ μὲν πλάτος ἐστὶ τῆς κυρτῆς ἐπιφανείας πένθ' ἡμιποδίων, τὸ δὲ μῆκος ποδῶν τεττάρων.*

13) Jam alios ad hoc Polybianae descriptionis a Liviana discrimen animadvertisse video. *Ihne* R. G. II. p. 176. n. 94 „Aber es ist nicht zu leugnen, dass Polybius sich die Gegend anders dachte. Er scheint der Ansicht gewesen zu sein, dass sich die Strasse, auf der Flaminius angegriffen wurde, der Länge nach durch das Thal zog, dessen beide Seiten Hannibal besetzt hatte, also nicht an dem Thale vorbei. *Egelhaaf* (Vergl. d. Berichte d. Pol. u. Liv. Jahrb. f. klass. Phil. 10 Suppl. p. 512) fere idem censet; etiam magis contemptim, ut solet de Polybio, *Neumann* (cf. adn. 8): Aber in den Einzelheiten hat Polybius seine Quelle missverstanden und sich von dem Terrain eine abenteuerliche Vorstellung gebildet. Er denkt sich einen ebenen Thalgrund auf beiden Längsseiten eingefasst von Bergen, im Hintergrund abgeschlossen durch einen Hügel, von vorn, wo der Zugang war, begränzt durch einen See, den er, wenn der Text korrekt ist, für einen anderen hält als den Trasimenus. *Bunbury* in *Smith* Dictionary of Greek and Roman Geography II. 1222 „It is remarkable that in this instance the localities are much more clarely and accurately described by Livy than by Polybius: the account given by the latter auther is not incompatible with the existing local details, but wood not be easily understood, unless we were able to correct it by the certainty that the battle took place on this particular spot. *Mommsenii* descriptionem quae accurate reddit Polybianam (ein enges Defilé zwischen zwei steilen Bergwänden, das am Ausgang ein hoher Hügel, am Eingang der Trasimenische See schloss) ipse Nissenius improbat. — Etiam Herm. Peterum in Vet. Hist. Rom. rell. p. CCXXVI uberius de hac discrepantia inter Polybium Liviumque egisse, nunc sero video, ubi haec imprimuntur. Hesselbarthius (de pugna Cannensi p. 16. n. 4) spem nondum dimisisse videtur fore, ut ad Trasumenni ripas locus descriptioni Polybianae magis conveniens inveniatur.

14) Huius rei mentionem facere operae pretium esse duxi, quod Nissenius (p. 583) viginti annis ante illic aliam sententiam Livianae descriptioni similiorem se invenisse dicit haec ille quidem addens: Denn der Bauer an Ort und Stelle beurteilt richtiger diese einfache Frage als seine gelehrten Landsleute, die darüber Bücher schreiben.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod copiae circa hanc campi partem dispositae facilius unius imperio regi et uno tempore, id quod ex pugnae narrationibus factum esse discimus, in hostes decurrere poterant, tamen maiores ea parari quam tolli difficultates minime me fugit. Quarum gravissima praeter loci exiguitatem haec est, quod Hannibal ita mea sententia insidiis saepsisset eam campi partem, in quam Flaminium progressurum esse non existimare poterat. Romanos enim consentaneum erat aut hostium dolo per exploratores detecto non in fauces et insidias intraturos aut nihil suspicatos ea via agmine incessuros esse, qua sola Hannibalem praegressum esse existimare poterant. Quae via quoniam hau dubie ipsam lacus ripam modico sequebatur intervallo usque ad alteras fauces[15]) (prope v. *Passignano*), atque campus universus ipse quoque facile poterat claudi insidiis, non est quod Poenum se in vallem illam paullum a via remotam recepisse credamus. Accedit quod non solum hostis, qui e faucibus septentriones versus (*Sanguinetto*) progrediebatur, insidias laeva sub monte *Gualandro* locatas brevi detegere debebat, sed etiam collis, in quo v. *Tuoro* situs est, magis conspicuus procurrit in planitiem et maiore iure *ἐρυμνὸς καὶ δύςβατος* appellari potest. Neque id minimi habendum est momenti, quod Liviana descriptio in ceteris Polybianae simillima ad illam valliculam accommodari nequit. Nihil igitur relinquitur, nisi ut statuamus Polybium, cum ea, quae de loco pugnae tradita accepit, aut non satis recte intellexisset aut non satis dilucida esse existimaret, descriptionem finxisse a vera loci natura alienam. Et latere errorem in Polybii descriptione vel ex eo elucet, quod singula in ea inter se conciliari non possunt; verba enim *διελθὼν τὸν αὐλῶνα παρὰ τὴν λίμνην τὸν μὲν κατὰ πρόςωπον τῆς πορείας λόφον αὐτὸς κατελάβετο* ex eius descriptione nullo modo intellegi possunt, cum ad collem illum occupandum non praeter lacum iri sed a lacu in partem contrariam discedi necesse sit; sed ad veram loci naturam haec verba facile possunt accommodari, praesertim si lacum aliquid recessisse consideramus. Ceterum idem Polybius paullo ante, ubi loquitur de Hannibalis itinere ad Trasumennum facto, errorem commisit manifestum in his verbis: (c. 82, 9) *ὅ γε μὴν Ἀννίβας ἅμα μὲν εἰς τοὔμπροςθεν ὡς πρὸς τὴν Ῥώμην προῄει διὰ τῆς Τυρρηνίας, εὐώνυμον μὲν πόλιν ἔχων τὴν προςαγορευομένην Κυρτώνιον καὶ τὰ ταύτης ὄρη, δεξιὰν δὲ τὴν Ταρσιμένην καλουμένην λίμνην.* At per vallem Cortonensem proficiscenti lacus in fronte, non a latere est, nec prius Hannibal montes a laeva, lacum a dextra habere poterat, quam pervenit in insidiarum locum; sed hoc postea addit Polybius (§ 11) *ἐπεὶ δὲ τὸν Φλαμίνιον ἤδη συνάπτοντα καθεώρα, τόπους δ' εὐφυεῖς συνεθεώρησε πρὸς τὴν χρείαν, ἐγίνετο πρὸς τὸ κινδυνεύειν.*[16])

Sed ea quae a Polybio sunt tradita de pugna ipsa, paene omnia verae loci naturae reique bellicae rationibus ita conveniunt, ut eum in singulis haud raro accuratius rem egisse videamus quam Livium, quem in his capitibus maximam partem aut Polybium ipsum aut eundem cum hoc fontem secutum esse viri docti consentiunt. Una res in Polybii verbis consecuta est ex isto eius errore, quod (c. 84, 3) verbis *ἅμα γὰρ οἱ μὲν κατὰ πρόςωπον, οἱ δ' ἀπ' οὐρᾶς, οἱ δ' ἐκ τῶν πλαγίων αὐτοῖς προςέπιπτον* Romanos a quattuor partibus cinctos esse tradit, cum ab una parte sine dubio lacus fuerit. Rectius igitur Livius, cum Romanos spectantes facit ad orientem, utitur hisce verbis (c. 5, 6): „deinde, ubi in omnis partis nequiquam impetus capti, et ab lateribus montes ac lacus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat.“

Pugna quomodo pugnata sit, iam satis apparebit, ubi, quibus locis Hannibal singulas exercitus partes collocaverit, statuerimus. Atque ipsum quidem Hannibalem cum Hispanis Afrisque

15) Neque aliter Polybii verba *ὄντος δὲ κατὰ τὴν ὁδὸν αὐλῶνος ἐπιπέδου* explicari possunt.

16) Neumannius (l. c. p. 334), quem hic error non fugit, censere videtur Polybium id, quod ad lacum factum est, transtulisse ad iter, quod ante quam lacum attingeret erat faciendum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in colle illo, in quo nunc est vicus *Tuoro*, castra posuisse supra dictum est. Livius etsi idem non dilucide dicit,[17]) tamen quin idem sibi finxerit non est dubium, si quidem et Hannibalem in media acie locat et omnes exercitus Poenorum partes e locis editis in campum ad aggrediendum decurrentes facit (c. 4, 6). Quod in aperto castra Hannibalem locasse dicit, hanc solam copiarum partem non in insidias abditam esse significat, sicut postea addit „id tantum hostium quod ex adverso erat, a Romanis conspectum esse" (c. 4, 4); quae res num fide digna sit, mox viderimus. Baliares ceteramque levem armaturam idem Livius testatur „post montes circumductos" esse; quod in laevo Poenorum cornu fuisse etiam e Livii descriptione unusquisque supplere poterit, sed „post montes has copias esse circumductas" si ita explicari debet, ut eas in montium partem a campo aversam et ad orientem spectantem seductas esse existimemus,[18]) hoc Livio non credendum esset, etiam si Polybius non aliter nos et accuratius doceret. Illic enim i. e. in superiore valle vici *S. Lorenzo* et prope v. *Passignano* hae copiae tam procul ab eo loco afuissent, quo Hannibali eis opus erat ad proelium committendum, ut aggrediendi signo accepto vix una hora comminus fieri possent cum primo Romanorum agmine. Fauces, quibus via e campo exit ad orientem versus (prope *Oliveto*), a copiis occupatas fuisse haud negaverim, sed maiorem harum copiarum partem propius ad mediam aciem ducemque ipsum collocatas esse et ipsius Livii narratio pugnae declarat, quippe qui uno tempore omnes signo dato decucurrisse testetur, et accuratiora Polybii verba: (c. 83, 3) *τοὺς δὲ Βαλιαρεῖς καὶ λογχοφόρους κατὰ τὴν πρωτοπορείαν ἐκπεριάγων ὑπὸ τοὺς ἐν δεξιᾷ βουνούς τῶν παρὰ τὸν αὐλῶνα κειμένων, ἐπὶ πολὺ παρατείνας, ὑπέστειλε.* Sinistram Poenorum partem dextram appellat, sive quod ita loca describit, ut Hannibali in vallem introeunti copiasque disponenti se offerebant, sive quod testimonium Romani militis, qui pugnae interfuerat, non ad Poenorum rationes accommodaverat; verba *ἐκπεριάγων ὑπὸ τοὺς βουνοὺς ὑπέστειλε* non idem esse atque „educere circum montes" vel „post montes circumducere", sed (sicut *κύκλῳ περιάγειν* quod sequitur § 4) significare Hannibalem cum suis circuitu montium radices adisse copiasque sub montes subduxisse, dicendi consuetudo Polybiana affirmat.[19]) Restat dextrum Poenorum cornu, quod Polybius eadem usus ratione appellat sinistrum (c. 83, 4): *τοὺς δ' ἱππεῖς καὶ τοὺς Κελτοὺς ὁμοίως τῶν εὐωνύμων βουνῶν κύκλῳ περιαγαγὼν παρεξέτεινε συνεχεῖς, ὥστε τοὺς ἐσχάτους εἶναι κατ' αὐτὴν τὴν εἴσοδον τὴν παρά τε τὴν λίμνην καὶ τὰς παρωρείας φέρουσαν εἰς τὸν προειρημένον τόπον.*

17) „Ibi" enim in verbis (c. 4, 3): „ibi castra in aperto locat" non ad colles respicit, de quibus modo dixit, sed in universum ad loca nata insidiis.

18) Ita Wölfflinius interpretatur: „post montes" hinter die östlich das Thal abschliessenden Berge von Passignano, itemque etiam alii rem sibi finxisse videntur; quod addit Wölfflinius, daher schossen die Schützen, als die Römer Hannibals Aufstellung bei Tuoro angriffen, in deren ungedeckte linke Flanke", hau dubie lapsus est scripturus" rechte Flanke."

19) In verbis enim cum praep. *ἐκπερι* — compositis *ἐξ* haud notionem habet foras exeundi vel eiciendi, sed evitandi, deflectendi, circuitu cedendi, quo fit, ut Polybius *κύκλῳ περιάγειν* et *ἐκπεριάγειν* hoc loco pro eadem re dicat; item Xen. Cyn. 8, 5 *ἐπειδὰν δὲ τὰ ἴχνη* (leporis) *πρὸς τοιαῦτα φέρῃ, μὴ προσιέναι ἐγγύς, ἵνα μὴ ὑποκινῇ, ἀλλὰ κύκλῳ ἐκπεριιέναι.* Dio Cass. 43, 34 *ἐκπεριελθὼν δὲ ἑτέρωσε τοῦ περιτειχίσματος* pro *κύκλῳ περιελθών.* Polyb. X 31 3 *τῆς δὲ νυκτὸς ἔτι τῶν εὐζώνων ἐκπεριελθόντων ἐκ πολλοῦ* i. e. magno intervallo deflectentes circumvenire. Ita *ἐκπεριπλέω* saepius apud Polybium in pugnarum navalium descriptionibus pro circumveniendo navibus, velut I 23, 9; 27, 1, XVI 4, 14. Arrian. Arab. VII 20, 3 *ἐκπεριπλεύσας τὸν κόλπον Περσικόν* pro circumnavigando. — Verbum autem *ὑποστέλλειν* usitatum apud Polybium pro eo quod apud Latinos „in collem subducere" (Caes. b. G. I 24. Sall. Jug. 38, 4) Pol. XI 21, 2 *Μάγων — ὑπό τινα βουνὸν ὑπεστάλκει τοὺς ἱππεῖς,* V 13, 5 *Φίλιππος — ὑπό τινα λόφον ὑπεστάλκει τοὺς Ἰλλυριούς.* IV 12, 4 *ἱππεῖς — ἅμα τῷ συνάψαι τοῖς πεζοῖς αὐτοὶ μὲν ὑπὸ τὴν παρώρειαν ὑποστείλαντες ἔμενον.* Talem autem collocationem ineptam futuram fuisse in exterioribus montium radicibus apparet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Perinde igitur atque illis copiis campum saepserat ab oriente, equites Gallosque e valle ad montes ab occidente ascendentes eum quem reddunt sinum secutus (*κύκλῳ περιαγαγών*) subducit et, quantum per loci naturam fieri licebat, extensos in montium clivo collocat; hae igitur copiae maxime ad ipsas fauces erant promotae et totius aciei extremae hostibusque proximae (*ὥστε τοὺς ἐσχάτους εἶναι κτέ.*). Hoc autem quin fuerit intra hos montes non extra eos, ubi ampla planities Cortonensis hos montes (*Gualandro*) subit, id quod Nissenio aliisque placuit,[20]) vix mihi videtur dubitari posse. Quamvis enim Hannibali ex usu futurum fuisse negari nequeat, si fauces etiam ab exitu exteriore claudere novissimumque Romanorum agmen in ipsas fauces intrudere potuisset, tamen eum has copias vel solum equitatum illuc quasi foras exposuisse non est credibile. Ei enim qui a planitie prope v. *Borghetto* ad lacum accedenti, ubi illa nocte Romani in castris erant, in fauces intraturus est, montes illos (*Mte. Gualandro*) continuos tam longe perspicere licet, ut ab hac montis parte copiae in insidiis latere nequeant. Nebulam autem postero die mane futuram aut ante lucem Romanos signa laturos esse praevideri non poterat; atque cum noctu Hannibal has copias in insidiis locaret, ne tum quidem per fauces proxime ad Romanorum castra exeuntes illas educere neque in tenebris trans montem satis altum et arduum traicere poterat. Neque intellego, cur quam maxime has copias dux extenderit, si extra vallem eas locabat, unde coniunctae per fauces intrare debebant; at intra vallem maxime Hannibalis eas aeque atque illas ad laevam locatas extendi intererat, ut Romanos, in quos agmine incedentes, non acie instructos impetum fore veri simile erat, quam latissime uno tempore invaderent. Quodsi Gallos viri docti concedere videntur ita intra vallem instructos fuisse, ut signa a duce data conspicere (Liv. c. 4, 5. 6) vel brevissimo tempore a duce arcessi (Pol. c. 84, 1 *διαπεμψάμενος πρὸς τοὺς ἐν ταῖς ἐνέδραις*) et signo percepto una cum reliquis decurrere possent, nihil est quo inducamur, ut equites ab his separemus. Et est occisus ab equite Gallico, si modo vere equitem fuisse Livius adiecit (Pol. c. 84, 6 *τινὲς τῶν Κελτῶν*), Flaminius, qui quin pugnaverit in media valle apud primum agmen vix dubium est. Accedit quod intra vallem Gallos equitesque ita per loci naturam collocare licebat, ut conspectum eius, qui vallem intrabat et via prope lacum incedebat, aliquantum temporis fugere deberent; collis enim a monte *Gualandro* proxime ad ipsas fauces prosilit, quod optime convenit hisce Livii verbis (c. 4, 3): equites ad ipsas fauces saltus tumulis apte tegentibus locat. Omnino Hannibalis consilio hostes improviso opprimendi et undique uno tempore aggrediendi eo magis prospere omnia cessura esse sperari poterat, quo magis omnes copias quamvis diversis locis dispositas ad mediam cui ipse praeerat aciem appropinquabat.

Pauca iam mihi eis, quae hactenus exposui et in tabula notavi, videntur addenda esse de pugna ipsa, quae caedes potius fuerit, quam iusta pugna. Romani cum prima luce neque noctu speculatoribus delegatis neque agmini ipsi exploratoribus praemissis agmine fauces inter montem *Gualandro* et lacum transissent, iam eadem ratione vel paullo latioribus ordinibus via haud procul

---

20) Nissenius p. 583: Endlich auf den Abhängen des M. Gualandro standen die Kelten mit der ganzen Reiterei, letztere besonders bestimmt in der Ebene bei Borghetto den römischen Nachtrab anzugreifen und in das Defilé hineinzutreiben. cf. p, 585: Der grosse Cavalleriechoc, welcher gegen den Nachtrab in der Ebene bei Borghetto geführt wurde, trieb die Massen in das Defilé hinein und gab der ganzen Schlachtreihe einen Stoss nach vorwärts. Quae Wölfflinius secutus est: „fauces“ hinter den Ausläufern des Monte Gualandro, dessen Abhänge gegen Tuoro hin durch die Gallier besetzt waren.“ Sane vero hi viri docti Zonarae verbis ad hanc sententiam firmandam uti poterunt ita Hannibalis insidias narrantis: *καὶ τοῦ μὲν πεζοῦ τὸ πλεῖον κατὰ τὰ ὄρη λοχᾶν ἔταξε, τὸ δ' ἱππικὸν σύμπαν ἔξω τῶν στενῶν ἀφανῶς ἐφεδρεύειν ἐκέλευσε, καὶ αὐτὸς ἐπὶ τοῦ γηλόφου μετ' ὀλίγων κατεστρατοπεδεύσατο* (VIII 25 P. I 412 D).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a ripa ad orientem versus ferenti incedebant. Flaminius ipse erat cum primo agmine. Nebula ex lacu mane orta Poenorum insidias opportunissime etiam diutius tegebat, quam sperare potuerant, ita ut primum agmen e regione collis ab Hannibale occupati, a quo via non multum afuisse videtur, incederet priusquam Romani hostes prope adesse animadverterent. Livio enim fides non habenda, quod statim angustiis superatis copias in colle instructas (hostium quod ex adverso erat c. 4, 4) a Romanis conspectas esse dicit, id quod neque per nebulam fieri licuisse veri simile neque reliquae Livii narrationi convenienter dictum est, e qua plane improviso Romanos undique oppressos esse aeque concludi possit, atque eluceat e Polybiana (c. 84, 1. 2): *Οὔσης δὲ τῆς ἡμέρας ὁμιχλώδους διαφερόντως, Ἀννίβας — συνεπεχείρει πανταχόθεν ἅμα τοῖς πολεμίοις· οἱ δὲ περὶ τὸν Φλαμίνιον παραδόξου γενομένης αὐτοῖς τῆς ἐπιφανείας ἔτι δὲ δυσσυνόπτου τῆς κατὰ τὸν ἀέρα περιστάσεως ὑπαρχούσης καὶ τῶν πολεμίων κατὰ πολλοὺς τόπους ἐξ ὑπερδεξίου καταφερομένων καὶ προςπιπτόντων* sqq. Eandem rem Polybius c. 108, 9 L. Aemilium Paullum testantem facit his verbis: *τοῖς δὲ κατὰ τὴν Τυρρηνίαν ἀγωνισαμένοις οὐχ οἷον πρότερον ἀλλ' οὐδ' ἐν αὐτῇ τῇ μάχῃ συνιδεῖν ἐξεγένετο τοὺς πολεμίους διὰ τὸ περὶ τὸν ἀέρα γενόμενον σύμπτωμα.*

Priusquam impetus fieret, maximam agminis partem in vallem intrasse certo affirmatur c. 84, 1 verbis: *Ἀννίβας ἅμα τῷ τὸ πλεῖστον μέρος τῆς πορείας εἰς τὸν αὐλῶνα προςδέξασθαι*; quare cum agmen fere quadraginta milium hominum cum equitatu et impedimentis minime quinque kilometrorum longitudinem habuerit, etiamsi paullo latius in campo ipso agmen pandi potuisse (Liv. c. 4, 4) existimemus, verborum eiusdem Polybii *καὶ συνάπτειν πρὸς αὐτὸν ἤδη τὴν τῶν ἐναντίων πρωτοπορείαν* (c. 84, 1) in tabulae signis non ita diligenter rationem habui, ut non agmen primum paullo me longius ad orientem versus promovere posse crediderim. Idem suadet et impetus undique uno tempore factus et illud, quod sex milibus Romanorum, qui sine dubio primi agminis fuerunt, contigit, ut paullo melius ordinibus constitutis hostium aciem perrumperent et in collem propinquum evaderent. Qui collis cum ex ipso campo surrexerit et ita nebula dispulsa prospectum pugnae praebuerit (Pol. c. 84, 12. 13 Liv. c. 6, 3), non dubito, quin fuerit ille, qui prope v. *Oliveto* maxime in campum procurrit. Nam si in hac parte copiae locatae erant ab Hannibale, quod neque affirmari pro certo potest neque negari, illo tempore certe iam in medium campum progressi erant, ut proelio interessent. — Novissimum agmen etiam in faucibus erat, cum impetus fiebat a Carthaginiensibus (Pol. c. 84, 8), sed non opus erat hos extrinsecus per fauces protrudi, quia, quid rei in agmine anteriore esset ignari, initio hau dubie ipsi protinus ruebant, ne pugnae deessent. Sed Gallorum, qui proximi in insidiis fuerant, multi contra hos se verterunt atque equites eos quoque, qui in lacum refugerant, consequi conabantur. Verbis enim (c. 84, 10): *ἐπιγενομένων δὲ τῶν ἱππέων* sqq. quae haud scio an Nissenium induxerint, ut equites extrinsecus e planitie supervenisse crederet, eadem res narratur atque his Livianis (c. 6, 7): „aut nequiquam fessi vada retro aegerrime repetebant atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur.“ Sed nihilo minus in hac potissimum parte magnum numerum ex hostium manibus effugere potuisse veri simile est; neque est igitur, quod Livii testimonium quamvis Polybii, qui nihil dicat de servatis, consensu non firmatum infringam „decem milia sparsa fuga per omnem Etruriam diversis itineribus urbem petisse“ (c. 7, 2), praesertim cum hoc ipso loco pro numeris a se allatis „Fabii temporibus huiusce belli aequalis“ asserat auctoritatem. Qui fuerit numerus Romanorum universus, accurate computari nequit. Secundum Polybium cecidere in campo ipso (*κατὰ τὸν αὐλῶνα* c. 84, 7) prope quindecim milia, totidem fere capti sunt; quot in faucibus trucidati, quot aquis suffocati sint, quot effugerint, non dicit. Livii vel Fabii testimonio „in acie“ cecidere quindecim milia (hau dubie idem numerus atque primus Polybii), multi postea utrimque ex vulneribus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

perierunt, capti sex milia illorum qui primo effugerant, effugerunt decem milia; quot extra aciem i. e. in lacu, in agmine (in faucibus) perierint, quot praeter illos capti, ne hic quidem docet.[21])

Plutarchi, Appiani, Zonarae, Silii Italici pugnae narrationes nihil afferre ad has in quibus versati sumus quaestiones de loco et ratione pugnae diiudicandas monuisse satis habeo.

II. De pugna Cannensi.

Quae de pugna Cannensi tradita sunt ab historicis antiquis, constat haud paucas afferre difficultates, sive locum pugnae accuratius indicare conamur, sive quaerimus, quo modo a proelii initiis ad Romanorum fugam sit pugnatum, quot Romanorum interierint, capti sint, effugerint, quae post pugnam ipsam apud Cannas gesta sint a victis et victoribus. Neque enim solum scriptorum veterum narrationes adeo inter se discrepant, ut vix in una re omnes inter se consentiant nisi forte in eo, quod devicti esse dicuntur ad Cannas Romani ab Hannibale, sed ea quoque quae legimus apud auctorem locupletissimum Polybium neque inter se plane conveniunt neque ad locorum naturam omnia possunt accommodari. Livium vero, ad cuius auctoritatem secundum Polybii fide dignissimam confugere debemus in eis potissimum, quae in fuga gesta sunt, in hac pugna describenda, in primis in libri XXII c. 48, errores commisisse manifestos quis est quem fugerit? Quarum difficultatum hic, quantum ut disiungantur fieri licebit, eas tantum explicare et si quid potero diiudicare mihi proposui, quae pertinent ad locum pugnae exercituumque collocationem. Nam ab eis, qui hac aetate uberius egerunt de pugna Cannensi, res non est absoluta. Schillbachius enim,[20*]) qui ipse in itinere adierat regionem Cannensem, accuratius quidem in universum eius naturam descripsit (etiamsi tabulae conficiendae tempus non invenerit; cf. p. 8) neque eum fugit dimicari non potuisse in ripa dextra, sed satis habet pugnae narrationem e variis auctoribus, in primis e Polybio, contaminatam addidisse vix tactis illis difficultatibus, quae ei potissimum, qui pugnam transfert in ripam sinistram, oriuntur. Ita fieri potuit, ut Hesselbarthio, qui postea disseruit „de pugna Cannensi“ (Gött. 1874 diss. inaug.) ne de loco quidem pugnae persuaderet et huic quaestio quasi integra esse videretur. At hic ipse sagaciter quidem explicare conatur,[21*]) cum quae rationes intercedant inter singulas pugnae narrationes antiquas, tum ex quibus fontibus Livius sua hausisse videatur, sed ei quaestioni, quo loco pugnatum sit, diiudicandae se non parem praestitit, quippe qui loca potius ex Polybio quam Polybium e locis interpretari voluerit et rei bellicae rationes adeo neglexerit, ut quaestionem gravissimi momenti, qui Romanorum tot milia Canusium confugere potuerint, cum — eius quidem sententia — Carthaginienses, non Romani Canusium a tergo haberent, ne verbo quidem perpendere operae pretium habuerit (cf. p. 11 sq.).

Aufidum flumen, ad cuius ripas pugna Cannensis pugnata est, priusquam in mare exeat,

---

21) Tartara (l. i. adn. 7. p. 112) ex his aliorumque scriptorum numeris 33 000 — 35 000 fuisse computat; Seeck (l. i. adn. 7. p. 164) 40 000; fuisse quattuor legiones plerique consentiunt: Seeck l. i., Tartara l. i., Ihne II 171. H. J. Müller ad Liv. XXII, 2, 1. Schemann, de legionum per alterum bellum Punicum historia (diss. in. Bonnae 1875) p. 13.

20*) De Cannis et pugna Cannensi. Progr. Gymn. Neuruppin 1860.

21*) Sed ne in his quidem omnia mihi probavit, ut solet in eiusmodi quaestionibus magis suspicionibus res geri quam argumentis. In primis manifestissimam similitudinem, quae in pugnarum praecipue descriptionibus inter nonnullas operis Liviani et Polybiani partes exstat, velut de pugna Cannensi inter Liv. c. 46, 4–6 et Polyb. c. 114, 1–5, ex Hesselbarthii rationibus non satis me explicare posse profiteor; usum esse Livium Polybio in pugna Cannensi describenda censent C. Peter, über die Quellen des XXI u. XXII Buchs d. Livius p. 46 sq.; Herm. Peter Rell. hist. Rom. p. CCXXX; Wölfflin ad Liv. XXII c. 44; Tell Philol. XI 109 n. 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

percurrere latissimam Apuliae planitiem unaquaeque Italiae inferioris tabula docet. Sed cum a sinistra eius ripa campi usque ad mare, ad montem Garganum, ad Apenninum tam late pateant, ut e loco edito eos intuenti vix ullam loci iniquitatem dignoscere liceat,[22]) planities, quae ad ripam dextram accedit, gradu quodammodo super illam edita est. Nam quia tota illa Apuliae ora ab Aufidi ostiis ad Brundusium versus paullatim a litore ad Lucaniae montes ascendit, haec inclinatio ad dextram Aufidi ripam quasi a latere aspicitur. Colles enim hanc ripam sequuntur fastigiis in illam planitiem transeuntes, qui haud procul a mari surgentes ad eo maiorem ascendunt altitudinem, quo propius ad Canusium oppidum accedunt.[23]) Medii fere inter hoc oppidum fluviique ostia[24]) sunt ei colles, qui summa inter alios omnes declivitate praerupti vestigia vici antiqui exhibent haud ea quidem insignia, sed satis manifesta; murorum enim reliquiae dignosci possunt, fornicis saxo structi pars superior e solo prominet, exstat puteus antiquus, terra ubique scatet tegularum laterculorumque fragmentis. Nominantur hi colles „*monte di Canne*“ et villam quoque in his agris sitam vocant „*masseria di Canne*“, neque est cur dubitetur, quin hic locus Cannarum antiquarum nomen servaverit; „arci“ enim Cannensi, quam ab Hannibale occupatam esse Polybius docet,[25]) nullus in hac regione locus aptior fuisse potest colle illo in complures partes praecipiti, quem *a* littera in tabula notavi; oppidi reliqua pars in proximo collium sinu fuisse videtur (*b*)[26]). Flumen hos colles fere ubique proxime subit, ut raro (velut in illa parte, cuius imaginem adumbravi; cf adn. 23) inter collis radices fluviique ripas intervallum plus quingentorum metr. relinquatur. Aufidum hac in regione, scilicet planitiem percurrentem, Maeandri instar sinuosis flexibus mari appropinquare tabulae docent, sed satis mirari non possum, quod eorum quoque nonnulli, qui ipsa loca viderunt, omnia quae de exercituum collocatione proposuerunt, ita ad hos fluminis flexus accommodare posse sibi visi sunt, quasi procul dubio sit, quin eidem flexus ab antiquitate ad haec tempora manserint. Immo manifestum est, Aufidum

22) Quae ampla pascua nunc appellantur „Tavoliere di Puglia“.

23) In pag. 11 imaginem collium Cannensium a me (e loco quem in tabula geogr. litt. c notavi) delineatam addidi, ut collium declivitas perspicua fiat; altitudo e tabulae lineis cognosci potest. Infra Cannas colles minore quidem sunt altitudine., sed pari fere acclivitate. Imaginem planitiei e loco edito adumbratam continet editio ll. XXI et XXII Livii ab O. Riemanio et E. Benoist curata a. 1882 (Paris, Hachette).

24) Absunt a Canusio oppido kil. 11, ab Aufidi ostio kil. 8.

25) III 107, 2 *καταλαμβάνει τὴν τῆς Κάννης προσαγορευομένης πόλεως ἄκραν· εἰς γὰρ ταύτην συνέβαινε τόν τε σῖτον καὶ τὰς λοιπὰς χορηγίας ἀθροίζεσθαι τοῖς Ῥωμαίοις ἐκ τῶν περὶ Κανύσιον τόπων, ἐκ δὲ ταύτης ἀεὶ πρὸς τὴν χρείαν ἐπὶ τὸ στρατόπεδον παρακομίζεσθαι, τὴν μὲν οὖν πόλιν ἔτι πρότερον συνέβαινε κατεσκάφθαι* [hoc terrae motu, anni nimirum 217, factum esse quo iure Niebuhr dicat (Vortr. ü. röm. Gesch. II, 98.) nescio; multo veri similius est, hoc referendum esse ad Hannibalis iter a. 217; cf. Pol. III 88 *εἰς πρώτην ἐνέβαλε τὴν Δαυνίαν — ἐπόρθει τὴν χώραν*], *τῆς παρασκευῆς δὲ καὶ τῆς ἄκρας τότε καταλειφθείσης οὐ μικρὰν συνέπεσε ταραχὴν γενέσθαι περὶ τὰς τῶν Ῥωμαίων δυνάμεις· οὐ γὰρ μόνον διὰ τὰς χορηγίας ἐδυσχρηστοῦντο ἐπὶ τῷ κατειλῆφθαι τὸν προειρημένον τόπον, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ κατὰ τὴν πέριξ εὐφυῶς κεῖσθαι χώραν.*

26) Prope „Fontanam di Canne“ cippum miliarium inveni et ex parte effodi, cuius titulum ascripsi, quia Mommsenius (Inscr. Regn. Neap. p. 346 sq.) eius numerum ex Guarinio non videtur cognovisse. Quoniam via Traiana Cannas non adibat, sed Herdoniis Canusium, Canusio Rubos recta petebat atque hunc cippum pertinuisse necesse est ad partem viae inter Ceraunilia et Aufidi pontem, eum Cannas postea delatum esse apparet; fortasse eum quoque ut plurimos inter Ceraunilia et Rubos inventos Turenum (Trani) portaturi erant, sed hic abiecerunt; cf. Mommsenium l. i., qui a Benevento Canusium itinerarium 85 mil. pass. computet. Itineraria et Anton. et Hierosol. (ed. Parthey et Pinder p. 53 et 287) 84 mil. pass. indicant, sed in singulis inter se discrepant.

LXXIX
IMP CAESAR
DIVI NERVAE F
NERVA TRAIANVS
AVG GERM DACIC
PONT MAX TR POT
XIII IMP VI COS V
P P
VIAM A BENEVENTO
BRVNDISIVM PECVN
SVA FECIT.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inde ab agris Cannensibus fluere in alveo admodum incerto, cum maxima ex parte ripa alterutra, haud raro utraque ripa tam humilis atque glarea arenaque a fluvio ipso allata ita cooperta sit, ut flumen modo huc modo illuc se convertere appareat, ubicumque imbribus auctus e ripis consuetis evaserit. Solere autem Aufidum, ut pleraque Italiae inferioris flumina, saepe ad ingentem magnitudinem accrescere ripasque inundare quis est quem non docuerit poeta longe sonantem natus ad Aufidum?[27]) Sed ne quis ex his quae dixi flumen omni lege solutum per campos evagari existimet, hoc addo posse cognosci ex tabula, quam secundum novissimas Italorum tabulas militares cum locis ipsis a me conlatas adieci, ubi ripa deiectus praecipites habeat (ut in flexu *d* et supra eum), ubi pateat (ut fere ubique infra *d*), ubi alvei termini extremi esse videantur, inter quos aliis temporibus haud dubie aliis flexibus flumen se sinuat. Plerumque autem Aufidus nisi imbribus auctus tam tenui fluit aqua, ut passim pedibus possit transiri. Aestate igitur, qua imbres in illis terris vix unquam cadunt, iter exercitus morari ille quidem sed non impedire potest. Et est pugnata aestate[28]) pugna Cannensis, cuius descriptiones quomodo huic quam exposui locorum naturae conveniant, iam erit quaerendum.



Colles Cannenses.

Polybius et Livius quamvis haud pauca de pugna Cannensi atque de rebus et ante et post pugnam gestis diversa ratione referant, tamen in maxima parte eorum, quae gravioris momenti sunt ad locum pugnae accuratius investigandum, ita inter se congruunt, ut his haec quaestio niti

27) cf. in prim. c. IV, 14, 25: Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Apuli,
Cum saevit horrendamque cultis
Diluviem minitatur agris.
Sat. I, 1, 58 Cum ripa simul avolsos ferat Aufidus acer.

28) Anni tempus definire licet ex Polybii verbis (c. 107, 1): *Τὸν μὲν οὖν χειμῶνα καὶ τὴν ἐαρινὴν ὥραν διέμειναν ἀντιστρατοπεδεύοντες ἀλλήλοις · ἤδη δὲ παραδιδόντος τοῦ καιροῦ τὴν ἐκ τῶν ἐπετείων καρπῶν χορηγίαν, ἐκίνει τὴν δύναμιν.* Messis autem quandoquidem sub illo caelo mense Maio extremo vel Iunio ineunte esse solet, pugnam medio fere mense Iulio fuisse veri simile est. Neque hoc infringitur Gellii testimonio (V 17) „Q. Claudius annalium quinto cladem illam pugnae Cannensis vastissimam factam dicit ante diem quartum Nonas Sextiles"; nam etiam quod cladem Trasumennam, quae inciderit non multo post veris appetentis tempus (Liv. XXII, 1, 1.), Ovidius (fast. VI, 765 sqq.) „bis quarto die ab extremo mense Iunio" acceptam esse dicit, cognoscitur inter Romanorum fastos et verum anni tempus illis annis discrepantiam fere duorum mensium fuisse; cf. Mommsen R. G. I³ 592 Seeck, Hermes VIII p. 152 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

possit fundamento. Ex utroque enim discimus bina posita esse castra a Romanis magnitudine diversa, Aufido flumine inter se disiuncta. Quod Polybius accuratius tradit minora Romanorum castra a maioribus decem fere stadia, ab Hannibalis paulo plus afuisse, his intervallis Livii verba quamvis nihil dicentis nisi idem ferme intervallum fuisse, quod ad Gereonium[29]), certe non repugnant. (Liv. XXII 44, 1. 2 Pol. III 110, 8—11). In eo quoque consentiunt fuisse Hannibalis castra in eadem ripa atque Romanorum maiora. Deinde ea, quae pridie diem pugnae gesta sunt, simillima apud utrumque leguntur, nisi quod ex Polybii verbis, utrum totum exercitum Hannibal an Numidas tantum flumen traiecerit, non satis apparet, Livius vero Numidas trans flumen missos esse, reliquas Poenorum copias in altera ripa mansisse certo affirmat. Postridie prima luce et consules e castris maioribus et Hannibalem exercitus in alteram fluminis ripam traduxisse ibique et Romanorum (adiectis copiis ex castris minoribus) et Carthaginiensium aciem ita instructam esse, ut illorum dextrum, horum laevum cornu eandem fluminis ripam attingeret, convenienter ab utroque exponitur. Neque in eo, quomodo utriusque exercitus copiae in acie dispositae sint, gravius occurrit discrimen praeter illud, quod mediae Romanorum aciei Polybius „Marcum Gnaeumque anni antecedentis consules", Livius Geminum Servilium, dextro Poenorum cornu ille Maharbalem, hic Hannonem praeficit. Illud quoque, spectasse Romanorum aciem ad meridiem, Carthaginiensium ad septentriones, pro certo uterque scriptor tradit; atque etiam qui ea, quae de pugnae initiis a Livio narrantur c. 47, comparaverit cum Polybii c. 115, eandem fere ex utroque sibi finget rerum gestarum imaginem. Reliqua iam inde a Livii cap. 48 discrepant a Polybio, quamquam in c. 48 extremo vestigia quidem certa deprehenduntur earum rerum quas Polybius c. 116 dilucidissime et probabilissime exposuit. Quae cum ad loca indaganda vix quid novi afferant, nunc paulum subsistamus ad harum quaestionum gravissimam, utra in ripa ex his quae exposui dimicatum esse videatur, perpendendam.

Ac primum quidem concludi debet eam ripam, in qua castra fuerunt minora, in illa parte fluminis, cui trina castra apposita erant, tantis exercitibus ad decertandum praebuisse locum magis idoneum. Uterque enim dux die pugnae quasi ex composito copias flumen traicit, ut in ripa altera aciem instruat. (Etiam pridie, nisi fallor, Hannibal in eadem ripa ulteriore aciem derexerat, de qua re infra accuratius erit disserendum).

Nec dubium est, quam ob causam illa ripa, in qua neutrius exercitus duces sui facere potestatem recusaverint, delecta sit ad decertandum: nihil enim ex tota et Polybiana et Liviana pugnae descriptione clarius elucet, quam hoc, pugnam esse pugnatam in planitie; in planitie autem uterque dux exercitus sui viribus singularibus, Romanus ingenti peditum multitudine, Poenus equitatu, certius se uti posse sperabat ad alterius perniciem. Neque enim, ubi duces acies instruere narrantur, ulla mentio fit fuisse unum utriusque aciei cornu a reliqua acie separatum collibus e loco humili in campum editiorem accliviter ascendentibus; immo vero contendere licet fieri non potuisse, ut pugna sic ut narratum est pugnaretur, nisi a cornibus prope ripam collocatis ad mediam aciem, ab hac ad cornua altera transitus facillimus patuisset; cf. Polyb. 113 *ὁ δὲ Γάιος — ἐκίνει τὴν δύναμιν ἐξ ἑκατέρας ἅμα τῆς παρεμβολῆς καὶ τοὺς μὲν ἐκ τοῦ μείζονος χάρακος διαβιβάζων τὸν ποταμὸν εὐθέως παρενέβαλε, τοὺς δ'ἐκ θατέρου συνάπτων τούτοις ἐπὶ τὴν αὐτὴν εὐθεῖαν ἐξέταττε —. τοὺς μὲν οὖν τῶν Ῥωμαίων ἱππεῖς παρ' αὐτὸν τὸν ποταμὸν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ κέρατος κατέστησε, τοὺς δὲ πεζοὺς συνεχεῖς τούτοις ἐπὶ τῆς αὐτῆς εὐθείας ἐξέτεινε —. τοὺς δὲ τῶν*

29) Inter castra Fabii dictatoris et Minucii magistri equitum intervallum duodecim stadiorum fuisse Polybius dicit III 103, 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

συμμάχων ἱππεῖς εἰς τὸ λαιὸν κέρας παρενέβαλε· πάσης δέ τῆς δυνάμεως προέστησε τοὺς εὐζώνους ἐν ἀποστάσει. Item de Hannibale *ἐτίθει δὲ ἐπ' αὐτὸν μὲν τὸν ποταμὸν, ἐπὶ τῶν εὐωνύμων, τοὺς Ἴβηρας καὶ Κελτοὺς ἱππεῖς ἀντίους τοῖς τῶν Ῥωμαίων ἱππεῦσι, συνεχεῖς δὲ τούτοις πεζούς* sqq. — *ἐπεὶ δὲ πάντ' ἐπὶ μίαν εὐθεῖαν ἐξέτεινε, μετὰ ταῦτα λαβὼν τὰ μέσα τῶν Ἰβήρων καὶ Κελτῶν τάγματα προῆγε, καὶ τἆλλα τούτοις ἐκ τοῦ κατὰ λόγον παρίστανε ζυγοῦντα, μηνοειδὲς ποιῶν τὸ κύρτωμα καὶ λεπτύνων τὸ τούτων αὐτῶν σχῆμα, βουλόμενος ἐφεδρείας μὲν τάξιν ἐν τῇ μάχῃ τοῦς Λίβυας αὐτῶν ἔχειν, προκινδυνεῦσαι δὲ τοῖς Ἴβηρσι καὶ Κελτοῖς.* Nusquam igitur ne minimae quidem campi iniquitatis vestigium latet, quales tantum valent in proeliis et fugere non poterant ducem omnium sollertissimum. Immo illa, ad quam confugit aciei mediae collocationem *μηνοειδὲς ποιῶν τὸ κύρτωμα — βουλόμενος ἐφεδρείας τάξιν ἐν τῇ μάχῃ τοῦς Λίβυας — ἔχειν*, documento docet luculentissimo plane eum ad planitiei naturam artes insidiasque suas accommodare coactum fuisse. Atque in pugna ipsa Hasdrubal, ubi cum compluribus equitum milibus a flumine ad dextrum Poenorum cornu transit, ab hoc redit ad mediam peditum aciem, nullis usquam tardatur loci impedimentis.

Quare, cum utriusque exercitus acies uno cornu ad ipsam fluminis ripam se applicarit, pugnatum esse apparet in ripa Aufidi sinistra.

Idem colligi potest, si coniungimus quae Polybius Liviusque referunt inter se simillima de collocatione castrorum exercitus Romani minorum. Nam quod scribit Livius (c. 44, 2): „Aufidius amnis utrisque castris adfluens aditum aquatoribus ex sua cuiusque opportunitate haud sine certamine dabat: ex minoribus tamen castris, quae posita trans Aufidium erant, liberius aquabantur Romani, quia ripa ulterior nullum habebat hostium praesidium“, hoc verum esse non potest, nisi castra minora fuerunt in ripa vico et arci Cannensi opposita, i. e. in ripa sinistra. Hannibalem enim, etiamsi castra sua post Romanorum adventum transtulisset in ripam sinistram, incredibile est arcem, qua paullo ante occupata niti poterat firmissimo munimento et refugio, sine praesidio relicturum fuisse. Castra igitur minora si fuerunt in ripa arci opposita, pugna quoque fuit in ripa eadem.

Illud quoque, quod dextrum Romanorum cornu, Carthaginiensium sinistrum flumen attigit, summas nobis affert difficultates statuentibus esse pugnatum in ripa dextra. Castra enim Hannibalis quoniam fuerunt prope ipsas Cannas, ut et Livius dilucide dicit (c. 43, 10) et convenit narrationi Polybianae propter arcis occupationem, castra autem Romanorum minora decem stadia ab Hannibalis, maiora decem fere stadia a minoribus prope flumen posita erant, sequitur ad illam cornuum collocationem efficiendam, ut bina Romanorum castra, si pugna fuit in ripa sinistra, fuerint supra Cannas, sin pugnatum est in ripa dextra, infra Cannas. Quam ob rem si pugna fuisset in ripa dextra, existimandum esset ita se Romanos flumine traiecto inter Cannas et maris litus interposuisse, ut mare haud ita magno intervallo post tergum haberent; aliter enim fieri non poterat, ut dextrum Romanorum cornu, laevum Hannibalis e suis ipsius castris prope Cannas factis egredientis flumini apponeretur.[30]) Quid vero hac re potest cogitari minus probabile magisve temerarium? An Romanorum consules propterea, quod sane imprudenter pugnam nec recusabant nec differebant, senatus scilicet consulto obsecuti, et quod devicti sunt, adeo omnes artis bellicae leges ignorasse aut contempisse credamus, ut Romam paene spectantes decertarent, quo se re-

30) Equidem non intellego, quomodo Hesselbarthius, quamvis id perspexerit Romanorum castra infra Hannibalis fuisse (p. 8 et p. 11), tamen sibi fingere potuerit (p. 13), pugnam intra Cannas et Canusium (in ripa dextra!) fuisse, Hannibalem igitur tantum spatii a Cannis ad aciem instruendam recessisse, ut Romani in dextram ripam transeuntes se inter Cannarum arcem Hannibalisque castra et Poenorum aciem interponere possent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ciperent nihil curarent? Sed ne haec quaestio in hac parte ad suspiciones redire videatur, id iam diligentius considerandum est, quo conversi Romanorum qui ex pugna evaserunt confugerint. Pauca de hac re leguntur apud Polybium et ea quidem aut incerta aut fide vix digna. Incerta, quae de locis dicuntur, quod nomina eorum omnino non affert, nisi quod Varronem cum septuaginta fere equitibus Venusiam[31]) fugisse narrat (c. 116, 13; 117, 2). Ad trecentos sociorum equites dispersos in oppida, item in oppida proxima peditum tria milia fugisse (c. 117, 2 *σποράδες εἰς τὰς πόλεις ἐσώθησαν*; 117, 3 *εἰς τὰς παρακειμένας πόλεις διέφυγον*). Etiam minus certa, quae addita sunt in eodem capite extremo: *ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ἐπὶ τὰ κατὰ τὴν χώραν ἐρύματα συμπεφευγότας ἐκπολιορκήσαντες οἱ Νομάδες ἐπανῆγον ὄντας εἰς δισχιλίους τῶν εἰς φυγὴν τραπέντων ἱππέων;* neque enim satis patet, qualia haec sint *ἐρύματα*, utrum loca natura an arte munita, et si arte munita, id quod veri similius, sintne oppida illa proxima; neque scimus, ex utro Romanorum cornu tot equites in haec loca munita confugere potuerint. Nam equitum Romanorum, qui in dextro cornu ad flumen fuerant, plurimi iam *ἐν τῇ συμπλοκῇ* necati sunt, *τοὺς δὲ λοιποὺς ἤλαυνον παρὰ τὸν ποταμὸν φονεύοντες καὶ προσφέροντες τὰς χεῖρας ἀπαραιτήτως* (c. 115, 4) et c. 116, 6 de eisdem dictum erat: *οἱ περὶ τὸν Ἀσδρούβαν ἀποκτείναντες τοὺς περὶ τὸν ποταμὸν ἱππεῖς πλὴν παντελῶς ὀλίγων.* Sed etiam equitum sociorum, qui laevum cornu tenuerant, plurimi interfecti, reliqui ab equis depulsi sunt (c. 116, 12); et de his ipsis illud iam Polybius addiderat c. 117, 2 fugisse ex eis Varronem Venusiam et ad trecentos *εἰς τὰς πόλεις.* Et fuerant equitum et Romanorum et sociorum cunctorum paullo plus sex milia! (c. 113, 5). Haec igitur neque inter se conveniunt neque qua fuga conversa fuerit nobis quaerentibus satisfaciunt. Illud praeterea mirum est, quod omnium peditum ne uni quidem, ut in castra, quae haud dubie post terga Romani reliquerant ad pugnam egredientes, ex acie se coniceret contigit, si modo fidem habemus Polybio, qui (c. 117, 4) peditum 70 000 cecidisse et tantum 10 000 a Paulo his castris praesidio relicta et in altera ripa inter pugnam contra Hannibalis castra missa in castra maiora se recepisse narret. Sed ne fidem ei habeamus, iam illud nos prohibet, quod etiam hi numeri de peditibus ab eo allati inter se non conveniunt. Nam 70000 peditum in acie cecidisse, 10000 in castris maioribus aut captos aut occisos esse (c. 117, 3 omnes occisi esse videntur) 3000 in oppida propinqua fugisse tradit, cum peditum omnino non plus 80000 fuisse dicantur c. 113, 5! (cf. 107, 9). Tanto haec omnia apud Livium et accuratius et inter se magis convenienter tradita sunt, ut haec omnia prae Polybio contemnere aut in suspicionem vocare nequeamus, quamquam cum eo non consentit nisi fere in numero militum universo (80000 peditum 7200 equitum XXII, 36) et in fuga Varronis Venusiam conversa (c. 59, 14). In pugna caesos esse 45500 pedites, 2700 equites[32]), captos 3000 peditum, 1500 equites, in castra maiora fugisse 10000, in minora 7000, Cannas se coniecisse ibique captos esse 2000; ex castris minoribus noctu ad sexcentos in castra maiora evasisse et magno hic alio agmine adiuncto Canusium incolumes pervenisse (c. 50, 11); praeter hos postridie e castris maioribus 4000 peditum et 200 equites alios agmine alios palatos passim per agros „quod haud minus tutum erat" Canusium perfugisse (c. 52, 4), castra a reliquis Hannibali

31) Polybii l. III 90, 8 etiam Lud. Dindorfius et Hultschius ita edunt: *κατέδραμον δὲ καὶ τὴν Οὐενεοουεντανήν, Ῥωμαίων ἀποικίαν ὑπάρχουσαν · εἷλον δὲ καὶ πόλιν Οὐενουσίαν, ἀτείχιστον οὖσαν καὶ πολλῆς καὶ παντοδαπῆς ἀποσκευῆς γέμουσαν;* sed dubium esse nequit, quin Polybius non scripserit *Οὐενουσίαν*, sed *Τελεσίαν*, ut iam Cluverius ex Livii l. XXII c. 13, 1 emendavit. Minime enim credendum est Polybium nescivisse oppidum, in quod colonia populi Romani deducta erat (a. 292 Vell. I 14), illa aetate non potuisse *ἀτείχιστον* esse.

32) Numerus fere 50 000 hominum ad Cannas caesorum saepius invenitur apud Livium XXII 59, 5; 60. 14. XXV, 6, 13. Appian. Ann. 25, Plut. Fab. 16, 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tradita, qui etiam minora antea in deditionem accepisset (c. 52). Copiosius deinde ea narrantur, quae Canusii gesta sunt, quo praeter illos etiam plures ex agris dispersos convenisse eo apparet, quod eorum numerus iam ad decem hominum milia auctus est c. 54, 4. Etiam Venusiam 4500 pedites equitesque sparsos fuga per agros pervenisse et a Varrone Canusium traductos esse (c. 54); deinde c. 56 Varro ad senatum scribit se esse Canusii cum decem[33]) milibus militum. Ea quoque quae postea leguntur de militibus qui, cum in fuga salutem apud Cannas petissent, a senatu ut indigni, quibus Italia iterum defendenda committeretur, in Siciliam relegati erant (XXIII 25, 7; 31, 2; in primis in l. XXV c. 5 sq.), probabile reddunt non agi de numero duorum vel trium milium, sed de duabus fere legionibus militum Cannensium.[34])

Satis mihi his quae de fuga a Livio tradita sunt videtur probari posse, fere omnes, qui in fuga salutem peterent, se convertisse Canusium Venusiamque; nam et coniuncti ex castris et dispersi ex acie omnes eodem versi in horum oppidorum prope Aufidum superiorem sitorum alterutrum contendunt. Quod quin fieri non potuerit, si ut supra exposui acies Romana infra Cannas dextro cornu ad Aufidum posito instructa fuisset, dubium esse nequit. Nam etiamsi Varronem cum paucis equitibus Poenorum acie longo circuitu circumventa Venusiam pervenire potuisse concedamus, illud incredibile est peditum multa milia in oppida confugere potuisse, a quibus hostium acie essent seiuncti, praesertim cum equitum victoris tot milia passim fugientes insectari possent, velut in eos, qui ex castris minoribus perruperunt in maiora, Numidae iaculari dicuntur (Liv. c. 50, 11). Eis quoque, quae in eodem capite inter bina castra agi narrantur, priusquam erumpant et Canusium petant, augetur vis huius argumenti. Initio enim, qui in castris maioribus sunt, mittunt ad illos, „ut ad se transirent: uno agmine Canusium abituros esse.“ Illi quidem alii eam sententiam aspernari: cur enim illos, qui se arcessant, ipsos non venire, cum aeque coniungi possent? alii vero ut obsequerentur illorum voluntati perfecerunt „et in maiora castra ad sexcenti evaserunt; atque inde protinus alio magno agmine adiuncto Canusium incolumes perveniunt.“ Quod illi in minoribus castris dicunt „aeque se coniungi posse, si illi ad se veniant,“ ad solam coniunctionem, neque vero ad iter coniunctis Canusium faciendum respicere potest, quoniam ex alterutris castris hoc iter brevius et expeditius fuisse necesse est! Fuisse autem propius ad Canusium castra maiora his rebus, quae inter castra geruntur, apertum fit. Neque enim solum milites in castris maioribus alteros ad se venire iubent, ut Canusium se recipiant, quamquam maior vis facilius perrumpere poterat ad minorem, sed etiam qui ex his castris minoribus egrediuntur ab hostibus lacessuntur,[35]) donec perveniunt ad castra maiora, unde iam incolumes Canusium iter continuant; quae omnia explicari nequeunt, nisi bina Romanorum castra ita supra Cannas fuerunt, ut castra maiora inter minora et Canusium in eadem ripa, in qua oppidum ipsum situm erat, interposita fuerint, castra autem minora in sinistra Aufidi ripa. Atque in castrorum minorum ripa pugna fuit ipsa [36]).

---

33) Aut numerus corruptus est in lib. ms., quod Heusingerium coniecisse Weissenbornius docuit, aut Livius decem illis milibus, qui Canusii erant, illos quos Varro traduxit addere omisit.

34) Liv. XXIII, 31, 4 quae ibi legiones essent — erant autem Cannensis maxime exercitus. XXV, 5, 10 Cannensis reliquiae cladis hic exercitus erat; c. 6, 1 „legiones“ appellantur.

35) Nimirum in latus eorum dextrum Numidae ita iaculabantur, ut Livius testatur c. 50, 11, id quod verum esse potest, sive fuerunt bina castra supra Cannas, sive fuerunt infra.

36) Etiam illud, quod duo milia hominum a Livio (c. 49, 13) et Appiano (c. 24) in vicum ipsum Cannas perfugisse et ibi extemplo a Carthalone cum equitibus circumventi esse dicuntur, nullo modo potest explicari, si pugnatum esset infra Cannas in ripa dextra. At ex acie ita ut in tabula notavi collocata fieri potuit, ut equites

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed haec argumenta tam certa et consensu firmata quibus de causis nihilo minus ab aliis neglecta aut contempta sint, videndum est. Et eo quidem qui pugnatum esse contendunt in ripa dextra gravissimo utuntur argumento, quod Polybium ita rem narrare manifestum sit.[37]) Equidem Polybius qualem sibi locum pugnae finxerit, non pro certo me scire profiteor et vehementer dubitare, sitne omnino sive quod ipse loca vidit, sive quod alii eum docuerunt, eius animo imago illius regionis obversata satis clara et perspicua. Illud certe mox viderimus falsa esse quae de caeli regionibus ab eo afferuntur; cetera autem, quae ex eo discimus de locorum natura, non dilucide ab eo exponuntur sed concludi debent e rerum gestarum narratione. Ita illud quidem concedendum, qui ipsam locorum naturam non cognoverit, pro certo affirmare nequire, utra in ripa pugna fuerit; sed qui ex ea re, quod Aufidus fluvius a Romanis a Larinio profectis primum traiectus esse dicitur ad ponenda castra minora, concludunt castra minora ideo fuisse in ripa dextra, in hac una re tantam Polybio in itineribus locisque describendis fidem habent, quanta in ceteris se non dignum praestitit. Ita in eiusdem libri tertio c. 65 extr. Scipionem trans Ticinum redisse narrare neglexit, cc. 80 et 86 Arnum Tiberimque ab eo traiectum esse non dicit; quin etiam ne verbo quidem c. 78 Apenninum montem ab Hannibale superatum esse commemorat! Item Polybius c. 107 Hannibalem a Gereonio Cannas proficiscentem arcemque Cannarum expugnantem facit Aufidi fluminis, qui in hoc itinere Hannibali traiciendus erat, nulla facta mentione. An, utra in Aufidi ripa Cannae sitae essent, unumquemque illa aetate scire existimabat Polybius, cui c. 110, ubi Apennini mentionem iniecit, opus esse videretur qui esset hic mons exponere? Eo igitur, quod paulo post, ubi Romanos quoque in eandem regionem progredi et castra haud procul ab Hannibale ponere narrat (c. 110), iterum Aufidi ne nomen quidem affert, nemo, qui caute iudicare volet, certo utetur argumento ad diiudicandum, utra in ripa haec gesta sint. Quid vero, quod in eodem capite haec Polybius addit (§ 4), postquam imperium postridie ad Terentium venisse dixit: *ἀναστρατοπεδεύσας προῆγε, βουλόμενος ἐγγίσαι τοῖς πολεμίοις, πολλὰ διαμαρτυρομένου καὶ κωλύοντος τοῦ Λευκίου. ὁ δ' Ἀννίβας ἀναλαβὼν τοὺς εὐζώνους καὶ τοὺς ἱππεῖς ἀπήντα, καὶ προσπεσὼν ἔτι κατὰ πορείαν οὖσι παραδόξως συνεπλέκετο.* Hannibalem nonne in arce Cannensi reliquerat Polybius c. 107? nonne igitur eodem iure vel maiore ex his verbis concludere licet finxisse sibi Polybium iam Romanos in eandem ripam transgressos, in qua Cannae tenebantur ab Hannibale? Quodsi tum demum Aufidi mentio fit, ubi postridie bina Romanorum castra poni dicuntur, ideo hoc nimirum factum est, quod tum primum flumen alicuius momenti esse incipit ad rem ipsam pugnamque futuram illustrandam, quandoquidem disiungit castra Romanorum! Haud secus autem ac Polybius etiam Livius Aufidi rationem habet, qui cum (c. 43, 9) consules Cannas proficiscentes faciat, i. e. in agros Cannenses (c. 44 ubi ventum ad Cannas est) et prope eum vicum, incertum utra in ripa, Hannibalem castra tenentem, non prius Aufidum nominet, quam fluxisse eum inter bina Romanorum castra commemorare ei operae pretium videatur.

Quod autem pridie pugnae diei ab Hannibale acie instructa pugnandi facultas dari dicitur (Polyb. c. 112) ante ipsius castra, i. e., si in ripa sinistra pugnam ipsam fuisse contendimus, in

---

trans flumen reiecti in vicum se conicerent, praesertim cum eodem fere tempore copiae Romanae e castris maioribus contra castra Hannibalis progressae essent. Neque haec res caret probabilitate, quia eodem videntur redire, quae Polybius c. 117. extr. narrat de duobus milibus equitum, qui cum *ἐπὶ τὰ κατὰ τὴν χώραν ἐρύματα* fugissent, a Numidis circumventi et capti sunt.

37) Tell, die Schlacht bei Cannae. Phil. XI, 101 sq.; Hesselbarth (p. 7 sqq.), cuius argumentationem alii probaverunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ripa dextra, in qua aciei locum fuisse negaverim, ne hoc quidem satis certum est. Sane quidem Polybius Hannibalem aciem ad flumen derigentem facit et postea in castra redeuntem Aufidi transitu non commemorato, sed statim addit Numidas ex acie missos ad aquatores depellendos usque ad ipsum vallum castrorum minorum (quae erant in ripa altera!) accessisse ne hic quidem flumen traiciendum fuisse animadvertens. Aut igitur fluminis transitum commemorare neglexit, ubi exercitum universum, aut ubi partem transisse monendum erat. Illud quoniam et propter loci naturam et propter ea, quae postridie gesta sunt, veri similius videri debet, suspicor Livium, qui Numidas flumen traiecisse dicat, idem apud Polybium aut apud eum auctorem, ad quem utriusque narratio in hac parte redit, invenisse, sed cum accuratius rem exponere vellet, in falsam incidisse opinionem.

Restat, ut quaeramus, quibus locis castra posita, qua in parte ripae sinistrae et quo conversi exercitus ad pugnam instructi fuerint; quae quaestiones eo fiunt difficiliores neque plane possunt absolvi, quod, ut supra exposui, quibus flexibus Aufidus illa aetate fluxerit ad Cannas ipsas et infra eas, scire nequimus. Hannibalis castra quin prope colles Cannenses ad flumen fuerint, vix dubium est. Polybius existimare videtur Hannibalem initio in arce expugnata et circa eam cum suis consedisse et deinde cum in eo esset, ut decertaretur, ad fluminis ripas degressum castra posuisse.[36*]) Livii quoque verba (c. 43, 10): „prope eum vicum Hannibal castra posuerat aversa a Volturno vento — id cum ipsis castris percommodum fuit sqq.“ si modo hoc verum est, intellegi nequeunt, nisi castra eo, quod sub collibus posita erant, quasi muniebantur contra ventum illum, qui unde flaverit post viderimus. Romanorum bina castra in valle prope fluminis ripas fuisse nemo negabit, qui Polybii verba (in primis c. 110, 8; 111, 11; 112, 3 sq.) diligenter perpenderit et comparaverit cum his Livianis: (c. 44, 2) „Aufidius amnis utrisque castris adfluens“.[37*])

Ex his igitur castris traiectos in ripam ulteriorem exercitus ita instructos esse Livius (c. 46, 8) Polybiusque (c. 113, 2. 8) certissimo affirmant consensu, ut Romanorum acies spectaret ad meridiem, Poenorum ad septentrionem. Quod ut in ripa sinistra fieri potuisse demonstrent, viri docti qui in hac ripa pugnatum esse intellexerint fere omnes Swinburnium secuti auctorem refugiunt ad flexus istos Aufidi, in quorum uno eius modi exercituum collocationi spatium fuisse opinentur.[38]) Ita enim Hannibalem aciem instruxisse sibi persuaserunt, ut in eo flexu, cui praedium *Tremaguai* adiacet,[39]) et cornu utrumque et tergum ad flumen haberet, Romanosque ipsos quoque aciem universam in eundem sinum ad aggrediendum promovere potuisse. Sed praeterquam quod admodum incertos fluminis flexus esse exposui, haud pauca prohibent, ne hanc sententiam speciem probabilitatis habere concedamus. Illud in primis animadvertendum eius modi collocationem alienissimam esse a reliqua Polybii Liviique narratione; nam qui fieri

36*) Polyb. III. c. 111, 11 *Τάῦτα — διαλεχθεὶς — ἀφῆκε, καὶ παραχρῆμα κατεστρατοπέδευσε, ποιούμενος τὸν χάρακα παρὰ τὴν αὐτὴν πλευρὰν τοῦ ποταμοῦ τῷ μείζονι στρατοπέδῳ τῶν ὑπεναντίων* · Quod ex cap. 110 extr. sequi videtur, fuisse iam antea in castris Hannibalem, haud scio an Polybius hic iam spectaverit ad ea castra quae postea ab illo facta sunt.

37*) Tamen aliquod intervallum inter castra minora et flumen fuisse cum ex eo cognoscitur, quod aquando milites possunt prohiberi (Pol. c. 112, 4 Liv. c. 45, 2. 3), tum quod eadem castra brachio obiecto flumine excluduntur (Liv. c. 52, 1; 59 5).

38) Swinburn, Travels in the two Sicilies Lond. 1783. Niebuhr, Vortr. über Röm. Gesch. II. p. 99; Peter Röm. Gesch. I. 362. Ihne, R. G. II. 198; Smith, Dictionary s. v. Cannae. Heinr. Hagge, das Schlachtfeld v. Cannae (Jahrb. f. Phil. II (1856) 185 sq.). Schillbach l. i. p. 11.

39) Non exstare in agris illis vicos *Medico* et *Elefante,* quorum nomina saepius inveniuntur in pugnae explicationibus iam Schillbachius docuit adn. 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poterat, ut dextrum Romanorum, sinistrum Poenorum cornu flumini appositum fuisse traderetur, si utrumque utriusque exercitus cornu ad flumen fuisset? Qui factum est, ut talis collocationis prorsus singularis, qua universa Hannibalis acies flumen proxime post tergum habuisset, ne minimum quidem in pugnae descriptionibus lateat vestigium? Immo contendi debet rebus ab Hasdrubale cum equitibus in pugna gestis spatium non daturam fuisse talem collocationem. Sed gravius accedit argumentum, quod illorum flexuum ne maximi quidem, qui unius kilom. longitudinem vix excedant, dimidiam partem tantorum exercituum excipere possunt. Hannibalis enim acies quin duorum kil. longitudinem multo excesserit, dubitari nequit.[40]) Quodsi, ut hanc evitaremus difficultatem, Hannibalis aciem ita secundum flumen derectam fuisse coniceremus, ut si non ad septentrionem, tamen inter septentrionem et occidentem spectaret, reliquis illis condicionibus non magis satis fieret. Nihil enim ex pugnae descriptionibus certius apparet quam utramque aciem rectis fere angulis flumini appositam fuisse. Ea potissimum, quae de pugna equitum in dextro Romanorum Poenorumque sinistro cornu narrantur, intellegi nequeunt, nisi equites inter flumen et mediam aciem quodam modo inclusi fuerunt. Polyb. 115, 2 *ἐποίουν οὗτοι μάχην ἀληθινὴν καὶ βαρβαρικήν· οὐ γὰρ ἦν κατὰ νόμους ἐξ ἀναστροφῆς καὶ μεταβολῆς ὁ κίνδυνος, ἀλλ' εἰσάπαξ συμπεσόντες ἐμάχοντο συμπλεκόμενοι κατ' ἄνδρα, παρακαταβαίνοντες ἀπὸ τῶν ἵππων.* Liv. c. 47, 1 „laevom cornu cum dextro Romano concurrit, minime equestris more pugnae; frontibus enim adversis concurrendum erat, quia nullo circa ad evagandum relicto spatio hinc amnis hinc peditum acies claudebant; in derectum utrimque nitentes stantibus ac confertis postremo turba equis vir virum amplexus detrahebat equo“, at in altero cornu ‚evagando“ spatium fuisse ex his verbis Polybianis (c. 116, 6) concludere licet: *οἱ δὲ Νομάδες ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ κέρατος προσπίπτοντες τοῖς ὑπεναντίοις ἱππεῦσι τοῖς ἐπὶ τῶν εὐωνύμων τεταγμένοις μέγα μὲν οὔτ' ἐποίουν οὐδὲν οὔτ' ἔπασχον διὰ τὴν ἰδιότητα τῆς μάχης, ἀπράκτους γε μὴν τοὺς πολεμίους παρεσκεύαζον περισπῶντες καὶ πανταχόθεν προσπίπτοντες.*



Sed quae Polybius Liviusque de illa exercituum collocatione afferunt, eo firmari videntur, quod uterque addit solem ita utrisque pariter obliquum fuisse: Liv. c. 46, 8 „sol seu de industria ita locatis, seu quod forte ita stetere, peropportune utrique parti obliquos erat.“ Polyb. c. 114, 8 *βλεπούσης δὲ τῆς μὲν Ῥωμαίων τάξεως πρὸς μεσημβρίαν — τῆς δὲ τῶν Καρχηδονίων πρὸς τὰς ἄρκτους ἑκατέροις ἀβλαβῆ συνέβαινε γενέσθαι τὴν κατὰ τὸν ἥλιον ἀνατολήν.* Hoc verum non esse, si respiciat ad ipsum solis ortum, declaratur figura, quam addidi a collega benignissimo

40) Ita fere calculum facere licet: etiamsi Hannibalis acies, octo fere peditum milibus partim in castris relictis (Polyb. c. 117, 10) partim ante aciem positis (c. 113, 6) 32 000 peditum fuisset et hi phalangis Macedonicae ratione (ad cuius exemplum Hannibalem copias coartasse minime est credibile) ordinibus continuis senorum denorum militum ita collocati fuissent, ut singulis spatium singulorum metrorum esset (ternorum pedum spatium ordinibus phalangis Polybius concedit XVIII. 29, 2; cf. ib. 30, 6; cf. Rüstow Heerwesen und Kriegswesen Caesars p. 39. Köchly und Rüstow Gesch. d. griech. Kriegswesens p. 108), sola peditum acies duo kil. in longitudinem patuisset. Accedunt decem milia equitum hau dubie quam maxime extensa. Cunei (*τὸ μηνοειδές*) mediae peditum aciei non rationem habui ut non magnum discrimen efficientis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

delineatam, ut significetur, e qua caeli parte solis radii horis singulis antemeridianis solstitii fere tempore[41]) in illis regionibus accidant. Solis enim orientis radii illo anni tempore Aufidi cursui universo plane occurrunt. Sed etiam primis horis post ortum, quibus proelium commissum esse veri simile est,[42]) sol non tantum se ad meridiem convertit, ut exercitibus, quorum singula cornua in alterutra fluminis ripa flumini applicata erant, „obliquus" esse potuerit. Illud quidem quamvis negari nequeat, solem aliquo pugnae momento pugnantibus obliquum fuisse et ita fortasse opinionem istam de exercituum collocatione ortam esse, tamen hoc, cum sine dubio pugnatum sit per maiorem partem diei, incertius est, quam quo niti possimus pro argumento. Polybium vero loci illius naturam perperam ad caeli regiones revocasse etiam ex eo apparet, quod Romanos ad castra minora ponenda Aufidum transeuntes facit ad orientem versus.[43]) Quod si pertinet ad singularem Aufidi partem, nihil valet in hoc flumine Maeandrio, quoniam etiam e ripa dextra in sinistram compluribus locis ad orientem fere versus transiri potest, velut in tabula adiecta e castris maioribus ad minora. Sin spectat ad universum Aufidi cursum (quod veri similius esse Hesselbarthio (p. 7) assentior, quia Polybius Aufidi flexuum notitiam non habuisse videtur), falsum est, quamquam minus Polybium errare concedendum, si Romanos transisse in ripam dextram opinabatur.[44])

Eis quoque, quae de vento Romanis inopportunissimo a Livio et Appiano traduntur, haud ita magnam fidem esse habendam, cum deprehendatur in eis illorum cura, qui quacunque ratione cladem Romanorum excusare voluerint, iam Ihnius (Hist. Rom. II 202) monuit. Accedit quod hi scriptores non plane de hac re congruunt. Livius enim Volturnum ventum appellat, quem ab „oriente hiberno" venire vel medium esse inter notum et eurum Seneca et Gellius (Q. N. 5, 16 N. A. 2, 22, 10) docent. Aliter atque accuratius, si quid veri est in hac re, Appianus et Zonaras eum fuisse ventum dicunt, qui in omnibus his terris aestate inde a medio fere tempore antemeridiano e mari in terram flare solet;[45]) quod si verum est, hunc ventum magis ab oriente venisse necesse est, quod tota illa ora mare habet inter orientem et septentriones.

Appiani haec quoque verba in usum nostrum converteremus (c. 19): *τῇ δ' ἐπιούσῃ κατέβαινον ἐς τὸ πεδίον ἑκάτεροι* (ad aciem scil. instruendam), nisi ne huic scriptori in hac re multum tribueremus, ea nos monerent, quae praeterea de loco pugnae profert, velut de insidiis in montem silvarum fauciumque plenum abditis, de fuga Afrorum *ἄχρι τῶν ὀρῶν*, de laevo Romanorum cornu ad mare posito, quae omnia neque cum locis, neque inter se neque cum Polybio Livioque congruere patet. — Plutarchus quod in facetissima illa narratiuncula de Hannibale et Gisgone, quam

41) cf. adn. 28.

42) Appianus c. 20 extr. hora altera proelium commissum esse, c. 25 ab hora diei altera ad alteram ante noctem pugnatum esse scribit.

43) Pol. c. 110, 10 *ἀπὸ διαβάσεως πρὸς τὰς ἀνατολάς.*

44) Neumannium de hac quaestione similiter iudicare nolo praetermittere (p. 368): Niebuhr hat sich dadurch irre leiten lassen, dass Polybius und Livius sagen, die Front der Römer sei nach Süden gerichtet gewesen. Darauf ist hier gar kein Gewicht zu legen, da eine Aufstellung am linken Ufer des Aufidus, bei welcher der rechte Flügel der Römer und der linke des Feindes sich an den Fluss lehnten, mit der Front des römischen Heeres nach Süden unausführbar ist. Es ist überdies bekannt, wie schlecht die meisten alten Schriftsteller sich nach den Himmelsgegenden orientieren und wie ungenau sie in solchen Ausdrücken sind. Auch der Umstand, dass den Römern der Volturnus, d. i. der Südost ins Gesicht wehte, spricht dafür, dass ihre Front nach Südost gewandt war.

45) App. Ann. c. 20. *Ἀννίβας-εἰδὼς περὶ μεσημβρίαν εὗρον ζοφώδη τὸν χῶρον ἐξ ἔθους ἐπιπνέοντα.* cf. c. 22. Zon. IX, 1. P. I, 418 *τὸν γὰρ ἄνεμον, ὃς ἐν θέρει ἐκεῖσε περὶ τὴν μεσημβρίαν εἰώθει γίνεσθαι, κατὰ νότον ἔχειν ἐμηχανήσατο.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ceteris e Livio petitis inseruit (Fab. c. 15), Hannibalem dicit acie instrui coepta cum nonnullis collem leniter acclivem, e quo hostium copias ad proelium se accingentes perlustraret, equo ascendisse, id, quantum ad loci naturam, non caret probabilitate; e castris enim sub collis radicibus sitis in vallicula collibus interiecta escendere poterat in locum editum, qui latissimum planitiei prospectum praebet.

Florus (I 22 p. 37 Jahn) haec refert: „documenta cladis cruentus aliquamdiu Aufidus, pons de cadaveribus iussu ducis factus in torrente Vergello.“ Item Valerius Maximus (IX 2 ext. 2): „eorum dux Hannibal in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxit.“[46]) Sed de Vergello flumine nemo nos quicquam docet praeter hanc fabulam satis suspectam neque exstat toto Cannarum circuitu ullum rivi vel rivuli vestigium. Forbiger quidem in Paulyi Encycl. Vergellum scribit etiam nunc *Vergello* nominari, sed hoc nomen quamvis cum insigni probabilitatis specie sit inventum, tamen est inventum.[47])

Sed nolo amplius turbare incertorum farragine hanc quaestionem, in qua necesse sit nos argumentorum certorum nisos fundamento incerta et suspecta abicere.

---

46) Silius It. VIII, 670 sq. idem narrat fluminis nomine non allato. Ceterum idem Silius Aufidi flexuum solus inter scriptores veteres notitiam habere videtur vv. IX 219 sq. „aciemque locorum consilio curvis accommodat ordine ripis sq. v. 227. At parte in dextra, sinuat qua flexibus undam Aufidus et curvo circum errat gurgite ripas — v. 237. Sed qua se fluvius retro labentibus undis eripit“. Quae res fugit Heynacherum (die Stellung des Sil. It. unter den Quellen z. zweiten punischen Kriege, Nordhausen 1877. p. 35).

47) Bunbury in Smith. Dict. (cf. adn. 13) s. v. Vergellus: The stream meant is probably a rivulet which falls into the Aufidus on its right bank between Cannae and Canusium, and is wholly dry in summer. Sed hic rivulus proxime Canusii moenia praeterfluit.

Pauca addenda sunt ad tabulae signa explicanda. Atque illud quidem non neglegendum, quem ad modum pugnarum descriptiones antiquae raro tanta sunt confectae diligentia locorumque notitia, quanta opus est ad copiarum collocationem pro certo in tabulis definiendam, ita in his quoque pugnis coniectura me magis nonnulla quam certa argumentatione assecutum esse. Illud quoque fieri non potuit, ut copiarum collocatio in singulis accuratius indicaretur, velut legionum acies manipulatim structa. — In tabula cladis Trasumennae etiam castra Romana inscripsi, quae „ad lacum“ fuisse (*πρὸς αὐτῇ τῇ λίμνῃ*) et Livius (c. 4, 4.) testatur et Polybius (c. 83, 7.) Mediam Hannibalis aciem non in sola illa collium parte exigua locavi, in qua vicus *Tuoro* situs est, sed paulo latius extendi. Fortasse etiam prope vicum *Passignano (Oliveto)* copias ab Hannibale dispositas fuisse supra concessi. — In tabula pugnae Cannensis lineis denorum metrorum altitudine distantibus et numeris inscriptis altitudo significatur. — Litteris notavi *A* castra Romanorum maiora, *B* minora, *C* castra Hannibalis, *F* cornu equitum Romanorum, *E* aciem pedestrem Romanam, *D* equites sociorum, *G* levem armaturam, *H* Gallorum Hispanorumque equites, *I* Afrorum pedites bipartitos, *K* peditum Gallorum Hispanorumque „cuneum a cetera prominentem acie“ (*τὸ μηνοειδές*) *L* equites Numidas, *M* Baliares reliquamque Hannibalis levem armaturam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ceteris e Livio pet
leniter acclivem,
id, quantum ad
in vallicula collil
prospectum praebe

Florus (I 22
de cadaveribus ius
„eorum dux Hann
Sed de Vergello fl
exstat toto Cannar
Vergellum scribit e
specie sit inventum

Sed nolo amp
argumentorum cert

it acie instrui coepta cum nonnullis collem
accingentes perlustraret, equo ascendisse,
e castris enim sub collis radicibus sitis
locum editum, qui latissimum planitiei

ladis cruentus aliquamdiu Aufidus, pons
Item Valerius Maximus (IX 2 ext. 2):
manis ponte facto exercitum traduxit.“[46])
ter hanc fabulam satis suspectam neque
ium. Forbiger quidem in Paulyi Encycl.
omen quamvis cum insigni probabilitatis

c quaestionem, in qua necesse sit nos
ecta abicere.

46) Silius It. VI
solus inter scriptores
modat ordine ripis sq.
gurgite ripas — v. 237.
lung des Sil. It. unter

47) Bunbury in
falls into the Aufidus o
rivulus proxime Canusii

n allato. Ceterum idem Silius Aufidi flexuum
sq. „aciemque locorum consilio curvis accom-
lexibus undam Aufidus et curvo circum errat
ripit“. Quae res fugit Heynacherum (die Stel-
rdhausen 1877. p. 35).
he stream meant is probably a rivulet which
m, and is wholly dry in summer. Sed hic

Pauca addenda su
pugnarum descriptiones
arum collocationem pro
certa argumentatione ass
indicaretur, velut legionu
scripsi, quae „ad lacum“
Hannibalis aciem non in
tendi. Fortasse etiam pr
In tabula pugnae Cannen
catur. — Litteris notavi
rum, *E* aciem pedestrem
I Afrorum pedites bipart
μηνοειδές) *L* equites Nun

quidem non neglegendum, quem ad modum
locorumque notitia, quanta opus est ad copi-
e pugnis coniectura me magis nonnulla quam
nt copiarum collocatio in singulis accuratius
ladis Trasumennae etiam castra Romana in-
4.) testatur et Polybius (c. 83, 7.) Mediam
vicus *Tuoro* situs est, sed paulo latius ex-
annibale dispositas fuisse supra concessi. —
ntibus et numeris inscriptis altitudo signifi-
astra Hannibalis, *F* cornu equitum Romano-
turam, *H* Gallorum Hispanorumque equites,
„cuneum a cetera prominentem acie“ (τὸ
em armaturam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Z. Progr. d. Thomasschule Leipzig 1883.



O. v. Boms dorff geogr. Anstalt Leipzig

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf